

tantum, & quoniam indeterminata & uno modo ex se agit in omnia, easdem vires omnibus communicat, non alias aliis, quas tamen ita singulæ res accipiunt, ut diathesis cujusq; finit. Quippe sicut agens agit, quomodo & quantum potest, ita patiens ut natum recipere, ita recipit. Ergò conditio propria est universalis agentis, ut effectum in quem communi ratione tantum influit, non determinet nec distingvat (hoc particularium efficientium est, à quibus certi & definiti motus principium est) influat tantum. Proximæ causæ proximorum effectuum causæ sunt, eæ ut variæ & differentes sunt, ita ab iisdem effectuum omnis varietas dependet. Ex quo manifestum est, cur hæc aut illa, talia & non talia individua nascantur, & hoc vel illo modo, non cælo, ut causæ instrumentali, sed proximis, ut materiæ & agenti vicino, quæq; in his proximè in motibus valent, adscribendum. Agit cum omnibus cælum, cum eqvo eqvum, cum cane canem generat &c. Quibus gemina & in subsequenti- bus proponit, quæ cum fructu legi itidem possunt.

§. 2. *Istius* quando ranarum, murium, vermium, metallorum & similium generationem, Soli etiam & cæteris stellis unicè ascribunt. Contra quos verò argumentamur: Quæcunq; causæ mediatè producunt effectum, in iis acquiescendum non est. Causæ remotæ mediatè producunt effectum. E. in causis remotis acquiescendum non est. *Iterum*: Quæcunq; causæ scientiam non pariunt, in iis Physico acquiescendum non est. Remotæ causæ scientiam non pariunt. E. in remotis causis Physico acquiescendum non est. *Iterum*: Nullum ignobilius est causa nobilioris. Cælum est ignobilius, animata nobiliora. E. cælum non est causa animatorum. Quæ argumenta ut invicta sunt, ita nihil solidi omninò habent adversarii, quod repone- nere queant. Hinc videas ipsos inter se disceptantes maximè, quorum alii tandem veritati victas dare manus coguntur; alii in erroribus suis hæerere hosq; cumulare malunt, quàm ad veritatem accedere.

§. 3. *Hujus* quando contendunt calorè producere vermes, ranas, muscas, quin imò totum fermè mundum, sicq; instru- mento, accidenti attribuunt, quod causæ principali, substan- tiæ debetur. Contra quos argumentamur: Quæcunq; causæ
aliis